MOTIVA CVRIAE DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM, IN PROCESSV IVRATORVM DE BIELSA,

SVPER APPELLITV EXECVTORIO, ET CAPTIONARIO.

IN Processu & causa, in Curia Dñi Iustitiæ Aragonum habito, & actitato, intitulato, *Processus Iuratorum de Bielsa*, super Appellitu executorio, & captionario, existente dicto processu & causa in deliberatione, super liberatione eius personæ, & an esset procedendum ad vlteriora in prædicto processu & causa. Tres Domini Locumtenentes admodũ Illustris Domini Don Martini Baptista de la Nuza, militis Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum fuerunt voti, & opinionis, quod debet pronuntiare, non fore, nec esse procedendum ad vlteriora in præsenti executione, & cum his mandamus liberari Ioannem de Bardaxi, à captione qua detinetur, præstita cautione in casum retractationis sententiæ, non obstantibus in contrariũ supplicatis; neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere. Attentis contentis. EX eo, & alias quoniam constat de dominio, & possessione bonorum prædicti Ioannis de Bardaxi, & alias, attentis contentis. ALII vero duo dicti Domini Iustitiæ Aragonum Locumtenentes, fuerunt voti, & opinionis, quod debet pronuntiari, supplicata per Martinum Ioannem de Biu, & Mathiam de Larosada Procuratores, locum non habere: attentis contentis. VNVS vero ex dictis duobus Dominis Lo-

cumtenentibus fuit ex motiuis sequentibus. EX eo, & aliàs quia constat captum fuisse Ioannem de Bardaxi, in non traddendo bona ei occasione firmæ tertij ab eo præsentatę ad capletam data, quia non docuit intra tempus de bono iure suo, & donec non satisfiat dictæ Curię, & soluerit expensas in quibus fuit condemnatus, ob temerariam iurisfirmæ præsentationem, captum detinendum fore, satis ex nostris foris deducitur. Nec obstat prætensum dominium probatum fuisse ab eo in processu executiuo, quia & si verum sit, præsentationem iurisfirmę tertij, & intra tempus fori non probantem dominum, esse condẽnandum in expensis, & ad restitutionem bonorum officiali executanti. Adhuc tamen, posse in dicto processu executiuo de dominio iterum agere. In præsenti tamen, nec verosimile est, dominium esse allegatum, nec testes deponentes probant, nō est verosimile, quia ipse Ioannes de Bardaxi, in suá cedula affirmat bona executata, penes se habuisse, tanquam dominus, per tẽpus trium annorũ, & vltra, à die executionis cõputandorũ. Cumquè, inter alia bona executata reperiantur *ocho Terneros*, qui hoc nomine nuncupatur, dum sint in ætate sex mentium, secundum communem vsum loquendi, vel ad summum, vsque ad annum: nō solum non est verosimile, sed repugnat veritati, per tantum tempus posse redisse dictos vitulos; & in hac eadem damnatione testes reperiuntur: Deponunt enim de scientia, per tãtum tempus, in quo facto legitimo computo à die executionis, & depositionis, non natos fuisse, patebit ad sensum, si communem vsum loquendi, & vitulos appellandi, attendamus cui necessario standum est, maximè, non constito de contrario; & casu, quo probasset dominium, quod diffitemur, adhuc restituenda ab ipso erãt bona capleuata Curiæ, & ab ea postea erant repetenda. Quidquod, proposita iam semel exceptione dominij, per præsentationem iurisfirmę, non est audiendus iam, ad impediendam executionem, debet enim suo tramite finiri, & si possit ad alios effectus præsentans iurisfirmam, etiam si succubuerit, dominium iterum proponere,

nere,non tamen ad impediendam executionem: Maximè, quia ex processu executionis constat, Franciscum de Bardaxi executatum possessorem, dictorum bonorum extitisse, & in possessione illorum repertum fuisse, tempore executionis: quæ possessio non eliditur per possessionem prætensam, à dicto Ioanne, & aliàs attent. content. ALIVS VERO dicti Domini Iustitiæ Aragon. Locumtenens, ex dictis duobus, fuit tantum ex motiuis sequentibus. EX eo, & aliàs, quia non constat legitimè de dominio, & possessione dictorum bonorum, prædicti Ioannis de Bardaxi, & aliàs attent. content.

Sig ✠ num mei Antonij de Soria in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateq; Regia, per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac Regentis principalis, vnam ex Scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, & eius Consilij Secretarij, qui huiusmodi Vota, & Motiua à originali libro, dicti Consilij, de anno millesimo sexcentesimo vicesimo primo, in quo continuata existunt, manu aliena extraxi, & cum suis originalibus, benè, & fidelitèr comprobaui, in quorum fidem, & testimonium præmissorum meo solito, quo artis Notariæ vtor, signo signaui.